



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Illvstrivm Scriptorvm Religionis Societatis Iesv Catalogvs**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Antverpiæ, M. DC. VIII.**

V.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68452)



uit; & sublato impedimento, ad Societatem aggregatus est.

## V.

**V**ALENTINVS, GERARDVS, natione Gal-  
lus, patria Ambronensis, scripsit Gallicè  
*Triumphum B. Mariæ Virginis, à calumniis  
Caluianorum ministrorum vindicatum.*

VENCISLAVS STVRMIVS, natione Bohemus,  
patria Tinenſis, Græcas & Latinas litteras in So-  
cietate docuit, & diu multumque concionatus in  
missionibus est, quarum incommoda multa alacri  
animo tolerabat, paupertatis amator, obedientiæ ap-  
primè cultor, proximorum salutis studiosissimus.  
Collegiorum Pragensis & Crumlouienſis Rector  
fuit, primusque qui Bohemico idiomate contra Pi-  
cardos scripsit, videlicet,

*Concordiam fidei.*

*Apologiam contra Siluium Huberinum, & contra  
Concionale Picardicum, & alteram Apologiam defen-  
sionis Concionalis.* Migravit ad DOMINVM expleto  
ætatis anno LXVI.

VINCENTIVS BRVNVS, natione Italus, patria  
Ariminensis, cùm Medici officio fungeretur, cu-  
randisque ægtotis operam daret, nostram ingressus  
est Societatem, ac diuinis litteris eruditus, propter  
eximiam probitatem, modestiam, & prudentiam,  
Collegio nostro Romano præfectus est, illudq; per  
multos annos integrè, suauiter, atque prudenter  
gubernauit. Romæque anno, ni fallor, salutis M. D.  
XCIV. de corporis ergastulo liberatus, ad cælestes  
sedes, vti speramus, à DOMINO translatus est, an-



num agens circiter LXV. Scripsit præclarè materna lingua, quæ & Latinè conuersa Colonia Agrippinæ exierunt,

*De Vita, Passione, & Resurrectione DOMINI* Tomos tres; in quibus præcipua eius mysteria explicantur, & modus ea meditandi traditur.

*De Vita Beatissimæ Virginis MARIÆ, Ioannis Baptista, & Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum in communi,* Tomum vnum.

*Meditationum in Euangelia, quæ Dominicis diebus leguntur in Missa,* Tom. I.

*De sacramento Pœnitentiæ, cum examine generali ad confessionem generalem,* lib. I.

## Z.

**Z**ACHARIAS ROTH, natione Belga, patria Flander, diligens concionator & copiosus, zeloque promouendæ diuinæ pietatis ardens, in castris Frisæ militibus operam consolando dans extinctus est. Scripsit in Eburonum agro,

*Catechismi lectiones XII.* cum Gallicè, tum Belgicè.

**P**ETRVS RIBADENEIRA, natione Hispanus, patria Toletanus, omnium totius Societatis IESV minimus atque indignissimus filius, anno salutis M. D. XL. die XVIII. mensis Septembris, ad Societatem nostram tunc nascentem, & nondum à Sede Apostolica confirmatam, Romæ singulari Dei beneficio puer adductus sum, & à B. P. nostro IGNATIIO admissus, & multis ac magnis perfunctus labori-